



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Art. I. De Electionis Natura.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

istius tenetur ad dispensationem in votis, in matrimonii Ordinumve impedimentis &c. quando ea ex iusta, præsertim necessitatis aut utilitatis publicæ, causa postularur, ut rectè observat Laiman *de Canon. cit. q. 8.* Unde, si ejusmodi postulatio à superiore, Papà inferiore, reiteretur, postulantes, etiam actio-

nem propriè dictam non habeant, officium tamen superioris implorare & petere possunt, ut recusantem ad postulationis admissionem compellat, *arg. c. Nullus 17. de Jure Patronat. Glossa in c. c. Bone 3. V. Gratia Panormit. ibid. n. 15. & Laiman n. 7.*



## TITVLVS VI.

### De Electione & Electi Potestate.

**P**ostulatio Extraordinaria: Ordinaria autem magisque favorabilis & Germaniæ nostræ Ecclesiarum frequentissimò usitata ad Prælaturas Ecclesiasticas via est Electio: cujus Natura Formæque & electi Potestas præsentis Rubricæ subiectis Constitutionibus Apostolicis latè declaratur.

#### ARTICVLVS I.

#### De Electionis Natura.

#### SUMMARIUM.

1. Electionis varia significatio,
2. Et propriè acceptæ definitio.
3. Eâ persona Jure idonea,
4. Ad Prælaturas Pastorales vocantur:
5. Ad quas acceptata jus ad rem tribuit electio.
6. Electionis differentia à libera Collocatione:
7. A Nominatione in tractatu Electionis,

8. Et extra hunc factâ:
9. A Præsentatione,
10. Et Postulatione.
11. Electio & Vox, alia Activa, alia Passiva est.
12. Privatio Vocis in Capitulo in Rubrica de Activa est exaudienda.

**E**lectionis nomen in Jure non eadem semper, sed variâ magisque aut minùs latè patentem habet significationem: & aliquando quidem quamcumque alicujus personæ, v.g. electoris, compromissarii, vel arbitrarii. *In causis 30. hac Rubric. & c. Cum specialis 61. de Appellat. imò etiam unius rei ex pluribus delectum denotat, Rubric. & text. ff. de Optione vel elect. leg. & leg. In alternativis 70. in 6.*

Ad personas etiam, earumque ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas vocationem, restrictum Electionis nomen transfariam: & primò quidem latissimè sumitur pro quacumque ad illa vacantia vocatione, approbatione & assumptione: & significatione sua non solum Electionem propriè

proprie dictam istiusque affinem & succedaneam Postulationem, sed Praesentationem quoque, Nominationem & ipsam Collationem liberam comprehendit; sic enim *c. Querelam 24.* presbyterum ad Ecclesiam elegisse dicitur populus. *Qui in quasi possessione juris presentandi clericum existeret*; sic electione praevia aliorum eligendorum nominatio electio vocatur *c. Quod sicut 28. pr. & c. Cum Ecclesia 31.* Episcopus elegisse perhibetur canonicos, qui in Ecclesia instituti collatione libera fuerunt. Secundò, late accipitur pro sola quidem personae idoneae, sed ad quamcunque dignitatem vel beneficium Ecclesiasticum vocatione facta per collegii suffragia & superioris legitimi confirmationem: quò modò *c. Dudum 22.* electio celebrata dicitur ad Praeposituram Ecclesiae Colocensis vacantem: & hodie quoque in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis ad Praeposituras, Decanatus, Officia &c. celebrari solent electiones, quae ab Episcopis confirmantur, Hostiens. *in Summa* & Laiman *ad Rubr. hic uterque n. 1.* Tertio demum, strictè & proprie Electionis nomine denotatur personae de Jure idoneae ad praelaturam seu dignitatem Pastoralem, in Ecclesia vacantem vocatione, per suffragia facta & confirmatione perficienda à superiore: quae secutà electus efficitur Ecclesiae caput & sponsus; quò modò sumitur Rubricà praesente & plerisque textibus ei subiectis.

2. Postremò hòc modò & strictè dicta electio est personae idoneae ad Ecclesiam vacantis dignitatem Pastoralem per suffragia Capitularium & aliorum, qui jus habent, vocatione canonice facta, & legitimi superioris auctoritate confirmanda, Glossa *in c. Unic. V. Vera de Postulat. pral in 6.* Hostiens. *cit. n. 1. cit. Laiman n. 2.* Vallens. *de Benefic. Lib. 1. tit. 3. n. 5.* &

Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 2.* quae ad vacantem praelaturam vocatione canonica dicitur, si facta sit secundum sacrorum Canonum praescriptum, eique nec defectus personarum eligentium aut ipsius electi, nec defectus formae aut aliud vitium valeat opponi: & contrà, si ei hujusmodi defectus aliquis opponi valeat, non Canonica usu communi, & minùs Canonica vocatur à Nicolao V. *Constitutione*, quae incipit *Ad sacram §. Item placet*, super Germaniae Concordatis edita *Calend. Aprilis 1447.* Unde

3. Patet primò, per Electionis Ordinariam viam vocari ad praelaturam non posse personam, quae non solum Naturalis aut Divini, sed Ecclesiastici etiam Juris, sive hòc introductò & praelaturae assecutioni obstantè impedimentò laborat; quòd talis Jure idonea non sit, ut dictum *ad Rubr. praeced. à n. 6.*

4. Patet secundò, eidem locum tantum esse ad Ecclesiam Secularem vel Regularem vacantem & viduam suo Pastore, qui cum ordinaria & generali, scilicet Episcopali vel quasi Episcopali jurisdictione toti Ecclesiae praesit: ut sunt non solum Episcopi, & his superiores Ordinis Episcopalis praelati: sed etiam Abbates, Praepositi, Priores Conventuales iisque similes permulti Regularium Superiores, & nonnulli etiam Praepositi seculares, Glossa *in c. Quia propter 42. V. Ecclesiis viduatis*, Tholosan. *de Elect. cap. 4. n. 2.* quantumvis enim Episcopalis Ordinis praelati Ecclesiarum suarum Sponsi magis proprie sint; propter vinculum Matrimonii Spirituales, inter ipsos & Ecclesias suas intercedentis, *c. Inter corporalia 2. pr. & c. Licet 4. pr. de Translat. Episc.* id tamen aliis quoque Regularium, & nonnullarum secularium Ecclesiarum praelatis, Ordinariam generalem & quasi Episcopalem jurisdictionem ob-

G g

nem obtinentibus accommodatur; quod etiam illorum obitu, renuntiatione, privatione hujusmodi Ecclesie viduari intelligantur, Sylvester *V. Electio 2. n. 2. & 3.* & Azor *p. 2. Instit. Lib. 6. cap. 14. q. 2.* Alia ratio est dignitatum, personatum & beneficiorum inferiorum; cum enim tales ejusmodi jurisdictionem ordinariam in Ecclesiis suis non obtineant, eorumque obitu Ecclesie pastore suo non videntur, eorum dignitates & beneficia Electiva proprie non censentur, licet personis idoneis pravia electione soleant conferri, Gloss. *cit. & in c. Sicut 21. V. Forma cit.* Sylvester *n. 3.* Azor *q. 5. & Pirrhing n. 1.*

5. Patet tertio, per electionem, communibus capituli suffragiis celebratam, eiq; accedentem acceptationem electi huic non in re, sed ad rem duntaxat sive praelaturam petendi jus acquiri; cum ei necessaria sit superioris confirmatio, qua jus illud roboretur, jusque in re & praelaturae quasi dominium acquiratur, Ant. de Butrio *in c. In nostra 32. de Rescript. a n. 25. & cit. Laiman n. 4.* Unde non solum ante electionis confirmationem beneficia ante obitum vacant & praelaturae, ad quam electio celebrata & acceptata est, administratio suscipi nequit, *c. Qualiter 17. & c. Avaritia 5. in 6.* sed huic etiam vel potius juri ad rem, per electionis acceptationem acquisito, liberè & superioris consensu non requisito, renuntiare electus potest, *arg. c. Ad audientiam 31. de Rescript. Glossa in c. Si electio 26. V. Renuntiat. in 6.* & si ante confirmationem decedat, praelatura non per ipsius, sed per praelati ante ipsum defuncti obitum vacabit, Selua *p. 3. de Benef. q. 1. n. 6.* & Laiman *cit. n. 4.*

6. Patent quarto perquam luculentae differentiae, quae inter Electionem ex una, & Collationem seu Provisionem

liberam, Nominationem, Praesentationem, atque ipsam etiam Postulationem ex altera parte, intercedunt. Differt itaque Electio

Primò à libera Collatione seu Provisione; cum enim ista quaedam donatio sit. *c. Quia diversitatem 5. de Concess. Præbend. & c. Consultationibus 4. de Donat.* sicut per donationis acceptationem jus in re & dominium rei donatae, *l. Absenti 10. ff. de Donat.* ubi Bruneman, *n. 2.* sic per liberam collationis beneficii ab Episcopo factae, & per provisionis Apostolicæ de Prælatura acceptationem jus in re & quasi dominium beneficii vel praelaturae acquiritur collatio & provisio, *c. Si tibi absenti 17. de Præb. & dignit. & c. fin. de Concess. præb. utrobique in 6. Franc. in c. Si tibi cit. n. 3.* Gonzalez ad Reg. *l. gloss. 15. §. 1. n. 15. & 33.* & Garcias *p. 4. de Benef. cap. 2. n. 1.* Per suam autem electionis acceptationem, juxta antea dicta, ad rem tantum, sive confirmationem electionis & praelaturam à superiore petendi jus acquiritur electo; atque ibi circo, licet iste praelaturae, sive ad hanc quaesito juri, renuntiare liberè valeat, *c. Si electio 26. junctâ Glossâ V. Renuntiat. in 6.* per collationem tamen provisionis dignitate vel beneficio cedere per renuntiationem non valet sine consensu superioris, eam admittentis, *c. Admonet 4. de Renuntiat.* ubi Glossa *V. In consilio Pa. normit. n. 2.* & Fagnanus *n. 3.*

Secundò à Nominatione, quomodocunque facta. Quatuor enim eius sunt species: quarum primâ in tractatu Capitulari, scrutinium & electionem præcedente, duo trèsve tanquam ad praelaturae administrationem idonei & praelati digni proponuntur: à qua Nominatione Electio eò differt; quòd ista electionem tantum sit, jusque ad rem tribuat electo, Nominatione verò proponantur plures & horum nulli jus acquiratur, *c. Quis factus 21.*

sicut 28. cuius pr. verba sunt, *Cum ex prima electione, que facta est de tribus & dicenda videtur potius nominatio, nihil juris acquisitum fuerit nominato: & propterea talis nominatio non impediatur, quominus electores suffragia sua in alium non nominatum conferre, eumque eligere possint*, Glossa in can. *Quanto* 10. *V. Relatio dist. 63. Panormit. in c. Quod sicut cit. n. 1. & Laiman in Rubr. n. 5.*

Alterâ in ipso electionis scrutinio singulorum eligentium suffragia & consensus in personam eligendâ secretò exprimentur: quæ nominatio ipsa quoque ad prælaturam jus non tribuit nominato: cum per ipsam plerumque plures nominentur: & si unus tantum à majori parte & à Capitularibus planè omnibus ita nominetur, ei tamen ad rem, sive ipsam prælaturam, & confirmationem petendi jus non acquiratur ante sequentem electionem communem: cui accedente nominati & electi consensu spirituale matrimonium inter electum & Ecclesiam inchoatur, c. *Cum inter* 21. hic & c. *fin. de Translat. Episc. ubi Panormit. n. 4. Mandos. in Cancell. Reg. 32. n. 8. & Zerola Prax. Episc. p. 1. V. Jus ad rem §. 1.*

8. Tertiâ Nominatione Papæ vel alteri superiori proponuntur duo vel plures præ aliis idonei & meritis excellentes; ut ex iis eligat unum, qui Ecclesiæ præficiatur: sicut ex speciali privilegio Apostolico in Regno Granatæ Regi duos nominari, & ex his unum ab illo designari, testis est Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 5. n. 9. Cujusmodi nominatione plus juris nominato non acquiritur, quam uni ex pluribus à patrono laico ad Ecclesiam vel beneficium præsentatis; ac proinde inter eam & electionem illud discriminis intercedit; quòd non, ut electio, de uno tantum fiat; & ejusmodi præsentationis instar jus ad rem absolu-

tum non tribuat nominato, Glossa in can. *Quanto cit. & Vallenf. cit. tit. 3. n. 7.* Quodsi ex privilegio aliòve speciali jure per nominationem superioris unus tantum, ab eo confirmandus aut instituendus, nominetur, nominatio rationem & vim habet præsentationis: cuius vim & effectum etiam habet nominatio, quâ unus nominatur vg. Titio, à quo is superiori instituendus præsentatur; cum tali casu à Titio facta præsentatio præcedentis nominationis executio esse videatur, ut rectè ad hanc Rubric. notat Pirrhing n. 4.

Postremâ à prælato vel alio ad Ecclesiam vel beneficium, monasterio vel dignitati suæ per unionem incorporatum, clericus idoneus, ut tanquam Vicarius perpetuus pro cura animarum approbetur, Ordinario diocæsano offertur. Quò modò facta nominatio ab electione fere, ut collatio libera, differt; cum per eam non ut per electionem & patroni Ecclesiastici præsentationem, ad rem duntaxat, sed in re jus, sive Vicariæ titulus & proprietas, sicut per collationem liberam nominato acquiratur: eamque sequens approbatio sive institutio non Collativa tituli, sed Authorizabilis sit, ut rectè observat & Rotæ decisione firmat Nicolarts *Prax. Benef. Tit. 1. dub. 7. §. 9.*

Tertiò Electio differt à Præsentatione; quia imprimis ista competere etiam laicis potest, can. *Pia* 26. can. *Quicumque* 30. *Sc. 16. q. 7. c. fin. de Conceff. præb. & c. Ex literis 7. de Jure Patronat. electio verò solis clericis, c. *Ofius* 2. c. *Sacrosancta* 51. c. *Messana* 56. *Sc.* Deinde; quia publicata electione jus ad prælaturam saltem remotum acquiritur electo; cum publicatò scrutinio electio revocationi non obnoxia, sed intimanda sit electo istiusque consensus requirendus, c. *Publicatò* 58. ubi Glossa*

Gg 2

V. Varia-

*V. Variare Laiman n. 1. & Fagnanus n. 36.* non etiam per præsentationem; cum ista superiori jam oblatâ patronus laicus, prius præsentato alium addendò, variare queat, *c. Quòd autem 5. & c. Cùm autem 24. de Jure patr.* Ecclesiasticus autem saltem, quando jus præsentandi penes capitulum est, & hoc in præsentationem *vg. Titii capitulariter consensit,* ante præsentationem superiori factâ, Titio omisso, alium *vg. Caium* valeat offerre, *Laiman de Elect. pral. q. 14.* Demum; quia electio exigit Confirmationem: præsentatio verò Institutionem; cum per illam publicatam & acceptatam electo jus ad rem absolutè quæsitum sit: non etiam præsentato à patrono Ecclesiastico, ante præsentationem superiori oblatam: Si autem patronus laicus sit, ante ipsam superioris institutionem; quod ante hanc locus sit variationi, *c. Quòd autem 5. c. Cùm autem cit. Panormit. in c. Auctoritate 4. de Institut. à n. 6. & cit. Pirrhing n. 4.*

**10.** Quarto eadem differt à Postulatione, partim; quòd ista sit de persona Jure impedita: non etiam electio; & propterea in hanc consentire electus valeat absolutè: postulatus autem non nisi sub conditione admissionis, per viam dispensationis obtinendâ à superiore, Glossa *in c. Cupientes 16. §. fin. v. Consensum in 6. & Panormit. in c. fin. de Postul. pral. n. 11.* partim verò; quòd postulatio, cum jus ad rem postulato non tribuat, *c. Postulationem 5. Rubr. cit. gratiæ superioris innitatur,* Glossa *in c. Unic. v. Eligo eadem Rubr. in 6.* electio verò nitatur jure, per ejus canonicè factæ acceptationem quæsitò ad prælaturam; ut electus hanc & electionis confirmationem proposita Actione petere valeat; & si idoneus fuerit repertus, reijci sine injuria non possit; ideòque ipse confirmari, postulatus

verò admitti dicatur, *c. Scriptum 40. cit. Pirrhing n. 2.*

Electio sic declarata, usu trita & in Jure etiam fundatâ partitione, alia Activa & alia Passiva dicitur à Garcia *p. 3. de Benef. cap. 4. n. 15. & Barbosa de Canon. & dignit. cap. 16. n. 18.* quarum illa consistit in voce Activa sive jure suffragandi, vel ipsâ suffragatione in prælati electione: ista verò in capacitate Vocis passivæ, sive habilitate personæ non laborantis ullo defectu, de Jure impediende, quò minus ad prælaturam per ordinariam electionis viam euehat. Utraque, tam Activa quàm Passiva vocis & electio non solum in capitulares, sive eos, qui de Ecclesiæ gremio sunt, sed in extraneos quoque cadit. In quos autem, à *n. 16. 41. & n. 58.* latè discutitur. Hòc locò

Dubium est, de qua Voce excipiendâ sit privatio Vocis in capitulo, simpliciter & sine Activæ & Passivæ mentione, sive à Jure sive ab homine proposita. Ratio dubitandi obvia est; quòd ubi lex ejusque conditor & iudex non distinguit, neque nos distinguere debemus, *arg. can. 1. ad fin. dist. 19. c. 1. De pretio 8. ff. de Publ. in rem alt. 20.* que idcirco privatio illa in dubio de Voce utraque, tam Passivâ quàm Activâ accipienda videatur: sicut, simpliciter propositâ suspensione, in dubio clericus suspensus tam beneficium quàm officium accipit, *arg. Clement. 1. & Extravag. de vna 4. inter com. de Privileg. defunctus Suarez disp. 25. de Censur. f. 2. n. 9. Laiman Lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 1. n. 2. Palsman Lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 1. n. 3. & communis doctrina aliorum;* quòd indestinata locutio æquipolleat universali, *Clement. 1. in c. Ut circa 4. v. Aliorum in 6. Tschus Practic. v. Indefinita concl. 86. n. 1. & Menoch. Consil. 97. n. 154.* Verum

Verum, quia nomine Vox magis propriè Activa, quam Passiva denotatur, ejus privationem, simpliciter & absolute proposita, in dubio ad Activam non male restringunt Garcias & Barbosa l. cit. eosque secutus Engel ad hanc Rubr. n. 2. cum; quod ea vocis privatio pœnalis & odiosa; ac proinde in dubio restringenda sit ad propriū vocis significatum; ut, cum à Jure vel homine imposita est privatio Vocis in Capitulo, Activa solum adempta intelligatur, arg. Reg. Odia 15. & Reg. In penis 49. in 6. tum verò; quod indefinitæ locutionis æquipollentiæ cum universali in odiosis & pœnibus locum esse, negent in contrarium allegati Tuschus n. 28. & Menoch. n. 155.

## ARTICULUS II.

## De Electoribus Capitularibus.

## SUMMARIUM.

13. Electio pralatorum pro temporum varietate variis.
14. Decretalium Jure Capitulis competit.
15. Jusque in Germania stabilita est per Concordata.
16. Suffragium in illa non habent I. Impuberes,
17. Et sacro Ordine non initiati,
18. Tempore celebrandæ electionis:
19. Quò lapsò, si illo omnes careant, devolutio fit ad superiorem.
20. Suffragium habent sacro Ordine ante legitimam ætatem,
21. Etiam illegitimè, sed bona fide initiati.
22. II. Non eligunt absentes sine justa causa:

23. Ex justa absentes constituunt procuratores.
24. III. Suspensi:
25. IV. Hæretici & alii excommunicati:
26. V. Personaliter interdicti:
27. VI. Irregulares ex Celebratione in loco interdicto:
28. VII. Qui scienter elegerunt indignum,
29. Etiam ad pralaturam Episcopali inferiorem:
30. Nisi à ceteris admittantur:
31. VIII. Qui eligendi formam Jure statutam non servarunt,
32. Pro una tantum vice suffragio carent.
33. IX. Qui non elegerunt intra terminum illò præfixum.
34. X. Pralatos Regulares non eligunt Novitii:
35. XI. Conversi laici & similes:
36. XII. Proprietarii, transeuntes ad non-Mendicantes,
37. Et alii, voce privati Jure speciali.
38. Voce carens ex delicto invalidè eligit post,
39. Non ante sententiam:
40. Præsertim si illà privatus non sit ipso Jure.

**P**ralatos eligendi potestas non semper penes eosdem fuit; in primitiva enim Ecclesia Apostoli pleriq; à Christo accepta potestate, successores sibi constituerunt, can. fin. dist. 68. Ipsi sublati, Ecclesiæ Pastorum sive Episcoporum creatio & Episcopatum collatio fuit penes Romanos Pontifices, can. Omnes 1 dist. 22. à quibus cum tempore illos eligendi jus tacite, vel expresse diversis personis: & aliquando quidem Clero & populo simul permittum fuit, can. fin. §. Sed nec dist. 5. can. Gg 3 Episcopos